



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ephesini Concilii Generalis Pars III. Sub Cælestino papa I. anno CCCCXXXI.

**Parisiis, 1644**

Aliud. Cap. XXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15241**

ANNO  
CHRISTI  
431.

inquit, *estis templum Dei vivi.* & rursus: *Nescitis, corpora vestra templum esse Spiritus sancti, qui est in vobis, quem habetis a Deo?* Verum si ita aiunt & ipsum esse Emmanuel, & tamquam vnumquemque nostrum, inhabitantem in sese Deum habuisse; aperte confiteantur, & cum ipsum adorari conspiciunt tam a nobis quam ab angelis in cælo pariter & in terra, erubescant, tamquam diuersa sentientes, & literarum sacrarum propositum nescientes, nec habentes in se fidem, quam nobis tradiderunt hi, qui in principio & viderunt, & ministraverunt Verbo. Sin autem dicant, quod propterea Deus sit, & ut Deus glorificetur, quia in eo tantum inhabitaret Dei Patris Verbum, ac non propterea, quia factus sit homo; audient rursus a nobis: Si in eis, qui inhabitantem in se Deum habuerint, satis est ut idcirco vere dii esse possint, & ab omnibus adorentur, omnes sunt dii & adorandi. inhabitat enim in sanctis angelis: habuimus autem & nos ipsum in nobis per Spiritum. sed non sufficit hoc natura deos ostendere, & adorandos eos qui habent Spiritum: igitur non propterea Deus est adorandus Emmanuel, quod inhabitavit in eo, tamquam in homine communi, & seorsum intelligendo in partem, Domini Verbum; sed quod factus sit caro, id est homo. mansit enim idem & Deus & adorandus.

*Dicta apostolica, in quibus Deus nominatus sit Christus.*

CAP. XIX.

I.

**D**E mysterio (dicens secundum Christum) quod aliis, inquit, *gentibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc reuelatum est sanctis eius, quibus voluit reuelare diuitias gloriæ mysterii huius in gentibus, quod est Christus in vobis spes gloriæ, quem nos annuntiamus.* Si igitur est theophorus, ac non Deus vere, quomodo ipse est diuitiæ gloriæ mysterii, quod annuntiat gentibus? vel quomodo omnino Deus annuntiat?

*Aliud.*

CAP. XX.

II.

**V**OLO enim vos scire, *qualem sollicitudinem habeam pro vobis, & pro iis qui sunt Laodicea, & quicumque non viderunt faciem meam in carne: ut consolentur corda ipsorum, instructi in caritate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Christi.* Ecce mysterium Dei, mysterium nominat Christi; & plene intelligere quosdam vult imaginacionem ipsius. Quo igitur intellectu opus erat volentibus Christi mysterium discere, si fuerant audituri quod inhabitavit in homine Deus? Opus enim nimio intellectu, ut scias contra, quod Verbum, cum sit Deus, factum sit homo.

*Aliud.*

CAP. XXI.

III.

**A**Vobis enim sonuit sermo Domini, *non solum in Macedonia & Achaia, sed in omni loco, fides vestra qua est ad Deum, exiuit.* Ecce iterum in Deum fidem factam esse commemorat, cum etiam Christus dicit: *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Nam sermonem Domini, prædicationem dicit de seipso.